FK.134
28

B. M
II h
766

DE TEMPLO. ET. VICO FORTVNAE. HVIVSCE. DIEI

REVERSIS. D. VII. KAL. MAII. CIↃIↃCCXXXXII. LAETISSIMO. SIDERE
GENETHLIIS. EXOPTATISSIMIS
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI
DOMINI
FRIDERICI. III
DVCIS. SAXONIAE
IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE
ET. VVESTPHALIAE
LANDGRAFII. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE
COMITIS. PRINCIPALI. DIGNITATE. HENNEBERGICI
COMITIS. MARCHIAE. ET. RAVENSBERGAE
DYNASTAE. RAVENSTEINII. ET. TONNAE
PRINCIPIS. ET. DOMINI. NOSTRI. LONGE. CLEMENTISSIMI
PATRIS. PATRIAE. OPTIMI
DEVOTISSIMAE. PIETATIS
IN. FORTVNA. HVIVSCE. DIEI. TESTIFICANDAE
VOTORVMQVE. NVNCVPANDORVM. CAVSSA
PRID. KAL. MAIAS. AVDITA. POST. MERID. H. II
HABENDVM
IN. SVPERIORI. ILLVSTRIS. GYMNASII. FRIDERICIANI. AVDITORIO
ACTVM. ORATORIVM. SOLLEMNEM
SERENISSIMI. PRINCIPIS
FRATER. SERENISSIMVS
DOMINVS. NOSTER. CLEMENTISSIMVS
PERILLVSTRES. ILLVSTRES. EXCELLENTISSIMI. AMPLISSIMI
REIPVBLICAE. PROCERES
CVRATORES. GYMNASII. GRAVISSIMI
PATRONI. ET. FAVTORES
MVSARVM. FRIDERICIANARVM
BENIGNISSIMI
VT
SPLENDIDISSIMA. HONORIFICENTISSIMA. EXOPTATISSIMA
SVA. PRAESENTIA
ILLVSTRARE CONDECORARE ORNARE
ET. IV. MVLTIS. NOMINIBVS. DE. MELIORI. COMMENDANDOS
SELECTI. ET. PRIMI. ORDINIS. DISCIPVLOS
CLEMENTISSIME. INDVLGENTER. ET. BENEVOLE. AVDIRE
VELINT
SVBIECTISSIME. DEMISSE. ATQVE. OFFICIOSE. ROGANTVR
A

M. IO. GOTTFRIDO. MOERLINO
ILLVSTRIS. GYMNASII. FRIDERICIANI. DIRECTORE
LATINAE. IENENSIVM. SOCIETATIS
COLLEGA. HONORARIO

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

ALTENBVRGI,
LITTERIS RICHTERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-829717-p0001-0

Fortunae huiusce diei vicum, Romam qui deſcribunt, memorant. Fuit is in decima vrbis regione, in qua etiam Palatium, id quod regionum monimento, e lapide ſub porticu Capitolina, ab Aldo Manutio P. F. exſcripto, confirmat Briſſonius (a). Nomen haud dubie a templo cognomini, quod in aliis quoque vicis factum, quos ex propinquis Fortunae, in cuius cultum effuſiſſima Romanorum ſuperſtitio, aedibus, nomen traxiſſe, idem l. c. autor ex S. Rufo et P. Victore probat. Incidit eius origo templi in tempora, poſt Gallos in vrbe viſos, Hannibalemque Italia ſubmotum, reipublicae turbulentiſſima. Cimbri, non Ambrones Gallici generis, in quibus memoria lapſus Samuel Pitiſcus (b), quum de his iam ante arma in Cimbros verſa debellatum (c) foret, nouo itinere per Alpes Noricas, Italiam aperuerant. Imminente pugna decretoria, C. Marius, cui ſumma totius belli commiſſa, et Q. Catulus, qui pro Conſule tum agebat, lotas vterque manus ad caelum tendentes, ille, templum Honoris et Virtutis, centumque boues immolaturum, hic Fortunae huiusce diei aedem vouerant. Facto praelio, caeſis ſexaginta hoſtium millibus *, Romanorum minus trecentis militibus deſideratis, Conſul templum Honoris et Virtutis, vulgari lapide, Proconſul Fortunae huiusce diei, pro magnificentia vrbis temporumque elegantia ſumtu et arte egregium, vterque de manubiis faciebant, qua de re Freinſhemius (d) plura ex variis ſcriptoribus ſolerter congeſta exhibet.

Vnius quidem diei cauſſa ſuſcepto voto, religio tamen ſeruata eſt, monimentumque eius, et vici nomine et votiuae aedis parietibus ad poſteritatem durauit, in omnes dies, quod in vnum fuiſſet nuncupatum, valere ratam. Ciceronem (e) idoneum huius rei autorem habemus, qui, *quoniam*, inquit, *exſpectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino ſpes conſecrata eſt: Fortunaque ſit vel huiusce diei, nam valet in omnes dies, vel Reſpiciens, ad opem ferendam.* In ſingularia de cultu illius obſeruata, non incidimus, ſed probabile eſt, eam, quae huius diei dicta, aeque ac aliis nominibus inſignem Fortunam, donis et imaginibus, fuiſſe decoratam. Imagines certe ibi conſpicuas, easque Pythagorae cuiusdam Samii pictoris, Plinius (f) teſtatur: *Fuit et alius Pythagoras Samius, initio pictor, cuius ſigna ad aedem Fortunae huiusce*

iusce

(a) BARN. BRISSONIVS de formulis et ſolennibus P. R. verbis L. I. n. LXXXVI. p. 48. edit. Conrad.

(b) SAM. PITISCVS in Lex. Ant. Rom. T. I. art. *Fortuna huiusce diei* p. 810.

(c) conf. FLORVS. L. III. C. 3. et EPITOMATOR. Hiſt. Rom. quem ipſum Florum nonnulli, quanquam non ſatis certa fide, faciunt L. LXVIII.

* Epitomator quidem Hiſt. Rom. L. LXVIII. centum quadraginta millia caeſa, capta ſexaginta, ſed, *traduntur*, ait, quem forte etiam ſequutus Freinſhemius: ſed malim Floro, alias ad augendum ſatis procliui, credere, praeſertim, quum Plutarchus in Mario ſex myriadas poſuerit.

(d) FREINSHEMIVS ſupplem. Liu. L. LXVIII. C. 45 - 80.

(e) CICERO de Leg. L. II. C. 2.

(f) PLINIVS. Hiſt. L. XXXIV. C. 8.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-829717-p0002-6
DFG

iuſce diei ſeminuda, ita enim legenda praeter Turnebum (g) Roſinus etiam haec verba cenſet. Sed Dalechampius plane aliter, nimirum: *cuius ſigna ad aedem Fortunae huiusce Deae ſeptem nuda, et ſenis vnum, laudata ſunt.* Nimis quidem cenſorio ſupercilio haec remouiſſe videntur critici, quibus tamen commoda explicatione facillimo negotio ſuus ſeruari poteſt locus. Quid prohibet? quo minus poſt verba, *ad aedem Fortunae huiusce*, quum ellipſis Latinis ſcriptoribus, etiam in deſignandis Deorum templis, non inuſitata ſit, omiſſam intelligamus vocem *diei*, et poſt hanc inciſo interiecto, ſenſum habeamus optime conſtantem, ſeptemque ipſius Deae nuda ſigna, et vnum ſenis, ad aedem hanc fuiſſe ſtatuamus. forte etiam nuda ſigna Fortunae conuenientiora, quam ſeminuda. Sed ſufficit nobis, rei, quam deſcribendam ſuſcepimus, a Plinio facta mentio. Neutra harum lectionum placet Fuluio Vrſino (i), qui pro *huiusce* reponendum pronuntiat *huiusque*, in qua ſententia etiam eſt Briſſonius (k), eam inprimis ob cauſſam, quod Cicero loco ſupra ſcripto poſuerit, valere in omnes dies Fortunam illam, quam in rem non contemnendum ex Mario Victorino de Orthographia locum adfert: *Et huiusce et huiusque recte ſcribuntur; ſed ſuo loco vtraque. Nam ab hocce et haecce fit huiusce. Huiusque autem aliud ſignificat, id eſt vniuscuiusque*, vt ſic huiusque diei non alia cenſenda ſit, quam omnium dierum Fortuna, ſi Briſſonium audiamus. Non a me impetrare poſſum, vt hac emendatione ſuam titulo aedis integritatem conſtare arbitrer. Mitto manuſcriptos codices, *huiusce diei* fidem tuentes; quamuis enim non omnino nihil eis tribuam; multos tamen vel librariorum inertia, vel nocturna diurnaque manu verſantium, et ſaepe non ſatis intellecta, intempeſtiuo ſtudio temere corrigentium inſcitia corruptos ad nos veniſſe, nec primus, nec ſolus mihi perſuadeo, quod quidem pace eorum ſcripſerim, qui manuſcriptorum exemplarium autoritate ſaepe contra ſenſum communem abutuntur. Mitto et hoc, quod Benedictus AEgius, vel Egius Spoletinus, qui primus ex lapide Capitolino, in quo eſt *vico Fortunae huiusce diei* genuina Ciceroni verba reſtituit (l), Fortunae *huiusce* diei patrocinetur: prouocat enim ad idem monimentum *huiusque* ſcribendum eſſe adſerens Briſſonius (m). Ipſe autor templi Q. Catulus conſulendus. Vouebat ille, non vniuscuiusque, ſed huiusce diei Fortunae, qua belli diſcrimen ſubiturus erat: votum autem quibus concipiebatur verbis, iisdem redditi titulus ad poſteritatis memoriam fieri ſolebat. Accedit, quod Plutarchus (n) τῆς ἡμέρας ἐκείνης τύχην commemorans, non obſcure docet, *huiusce diei Fortunae nomine* et templum dedicatum, et vicum appellatum eſſe, quanquam poſtea in ſingulos dies ad hanc aedem ſupplicantium turba impetrari optata poſſe crediderit. Ciceronis mentem planisſime explicat Schefferus (o): *Senſus ille eſt, poteſt Fortuna coli ſub cognomento* huiusce diei, *idque propterea, quia hoc cognomentum valet non in certum tantum diem aliquem, ſed omnes dies. Vnoquouis enim die coli poterit Fortuna eius diei, ſic vt qualibet die, poſtquam aduenerit, et facta fuerit hodierna, dicatur coli* Fortuna huiusce diei.

Nemini, quo conſilio haec praefatus ſim, obſcurum erit. Illuxit, quem vota noſtra ſaepisſime reducem expetierunt ſemperque expetent SEPTIMVS ANTE KALENDAS MAIAS DIES illuxit FELICITER. Laeti omnes atque gratulabundi et agnoſcimus et praedicamus Fortunam huiusce diei, quo SERENISSIMVS. PRINCEPS. AC. DOMINVS DOMINVS. FRIDERICVS. III. DVX SAXONIAE. IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM ANGRIAE. ET. VVESTPHALIAE. LANDGRAFIVS. THVRINGIAE. MARCHIO. MISNIAE PRINCIPALI. DIGNITATE. COMES. HENNEBERGICVS. COMES. MARCHIAE. ET. RAVENSBERGAE. DYNASTA RAVENSTEINII. ET TONNAE. DOMINVS. NOSTER LONGE. CLEMENTISSIMVS. PATER. PATRIAE. OPTIMVS

ampli-

(g) ADR. TVRNEBVS Aduerſ. L. XVI. C. 12.
(h) ROSINVS. Ant. Rom. L. II. C. 16.
(i) FVLVIVS. VRSINVS in append. ad Ciacconium de triclinio p. 70.
(k) B. BRISSONIVS de Formulis p. m. 48. 49.
(l) conf. edit. Oper. Ciceronis VERBVRG. L. II. C. 11. de legib.
(m) BRISSONIVS l. c.
(n) PLVTARCHVS in Mario p. 420.
(o) conf. Ed. Op. Cic. VERBVRG. l. c.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-829717-p0003-1

FK II h 766 x3362632

amplificandae DEI gloriae, augendis immortalibus SERENISSIMAE DVCVM. SAXONIAE. DOMVS decoribus, cumulandisque felicitate ſolida regionibus ſubiectisque deuotisſimis in hanc eſt lucem editus. Quam veteres Fortunam huiusce, in omnes valentem dies, hanc nos O. M. RERVM. ARBITRI prouidentiam veneramur et benignitatem, hoc praeſertim natali die illuſtrisſime conſpicuam, et perceptae adhuc, et inpoſterum ſperandae felicitatis auſpicem. Huic SERENISSIMVM. PRINCIPEM. PATRIAE. PATREM. PROVIDENTISSIMVM huic SERENISSIMAM. LVDOVICAM DOROTHEAM PARENTEM. PATRIAE. OPTIMAM huic HEREDEM. FILIVM. PRINCIPEM IVVENTVTIS. SERENISSIMVM huic FILIAM SERENISSIMAM huic VNIVERSAM. SAXONVM DOMVM. SERENISSIMAM, huic denique deſiderium OPTIMI. PATRIS PATRIAE ſalutem et tranquillitatem publicam ſupplices commendamus. Vt teſiatior ſit in Fortuna huiusce diei pietatis in DEVM et PRINCIPEM noſtrae memoria, ad d. xxx. Aprilis audita poſt meridiem hora II. Actum oratorium ſollemnem in illuſtri Gymnaſio Fridericiano celebraturi, SERENISSIMI. PRINCIPIS FRATREM. SERENISSIMVM. DOMINVM. NOSTRVM. CLEMENTISSIMVM. Perilluſtres, Illuſtres, Excellentisſimos Amplisſimos Aulae Ciuitatisque Proceres, Curatores Gymnaſii Grauisſimos, Patronosque et Fautores Muſarum Fridericianarum Benignisſimos, vt ſplendidisſima, honorificentisſima, exoptatisſimaque ſua praeſentia hanc ſollemnitatem illuſtrare, condecorare, ornare velint, ſubiectisſime, demiſſe et officioſe oramus, quaeſumus.

Quatuor, eo, quo ſe in ſubſelliis noſtris excipiunt, ordine, ſingulari et probitate et induſtria et modeſtia commendabiles prodituri ſunt adoleſcentes, quorum tres priores ſelecti ordinis diſcipuli, quartus primi primus,

Gottlieb Chriſtianus Langhus *Altenburg.* Felicitatem regionum ſub bono Principe *Oratione Latina* praedicabit,

Henricus Auguſtus Funccius *VValdenburg.* de Officiis bono Principe gaudentium *Oratione Teutonica* diſſeret,

Chriſtianus Gottlob Günther *Lobmenſ.* Vota et preces pro bono Principe orantium *Carmine Teutonico* cantabit,

Chriſtianus Gotthilf Stoll *Annaemont.* et felicitatem, et officia et vota bono Principe fruentium *Ecloga Latina* complectetur.

MG.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-829717-p0004-7

FK.134
28

II h
766

DE
TEMPLO. ET. VICO
FORTVNAE. HVIVSCE. DIEI

REVERSIS. D. VII. KAL. MAII. CIϽIϽCCXXXXII. LAETISSIMO. SIDERE
GENETHLIIS. EXOPTATISSIMIS
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI
DOMINI
FRIDERICI. III
DVCIS. SAXONIAE
IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE
ET. VVESTPHALIAE
. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE
RINCIPALI. DIGNITATE. HENNEBERGICI
MITIS. MARCHIAE. ET. RAVENSBERGAE
STAE. RAVENSTEINII. ET. TONNAE
OMINI. NOSTRI. LONGE. CLEMENTISSIMI
ATRIS. PATRIAE. OPTIMI
DEVOTISSIMAE. PIETATIS
VNA. HVIVSCE. DIEI. TESTIFICANDAE
TORVMQVE. NVNCVPANDORVM. CAVSSA
KAL. MAIAS. AVDITA. POST. MERID. H. II
HABENDVM
. ILLVSTRIS. GYMNASII. FRIDERICIANI. AVDITORIO
VM. ORATORIVM. SOLLEMNEM
ENISSIMI. PRINCIPIS
RATER. SERENISSIMVS
S. NOSTER. CLEMENTISSIMVS
LLVSTRES. EXCELLENTISSIMI. AMPLISSIMI
REIPVBLICAE. PROCERES
ORES. GYMNASII. GRAVISSIMI
ATRONI. ET. FAVTORES
MVSARVM. FRIDERICIANARVM
BENIGNISSIMI
VT
I. HONORIFICENTISSIMA. EXOPTATISSIMA
SVA. PRAESENTIA
ILLVSTRARE CONDECORARE ORNARE
TIS. NOMINIBVS. DE. MELIORI. COMMENDANDOS
TI. ET. PRIMI. ORDINIS. DISCIPVLOS
E. INDVLGENTER. ET. BENEVOLE. AVDIRE
VELINT
ME. DEMISSE. ATQVE. OFFICIOSE. ROGANTVR
A
. GOTTFRIDO. MOERLINO
TRIS. GYMNASII. FRIDERICIANI. DIRECTORE
LATINAE. IENENSIVM. SOCIETATIS
COLLEGA. HONORARIO

ALTENBVRGI,
TTERIS RICHTERIANIS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-829717-p0005-3